



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXXIII. Vtrùm & qualiter opinari sit nobis liberum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO TRIGESIMA-
TERTIA.

Utrum & qualiter opinari sit nobis liberum?

DE hoc argumento late egi in tract. de Consc. prob. à quaestione 7. usq; da undecimam. Nec opus esset quidquam ibi dictis superaddere, nisi comitandus esset Celladeus, qui

quasi. 5. Appendicium rem istam tractans, non parum discrepat ab eis, quae loco citato tradidi. Verum cum plurimum à veritate aberret, quae affert examinanda sunt, ut veritas, quantum fieri potest, clarè determinetur. Hoc ut fiat praemitti debent ea, in quibus convenimus; sic enim de statu controversiae & principiis necessariis melius instructi, ad res, de quibus dissentimus, examinandas ac determinandas accedemus.

ut magis declinet in unam partem, quam in aliam, quia cum ipse non sit liber in se, non est unde determinetur, quam per liberam electionem voluntatis. At quando assentimus dependenter à libertate voluntatis, voluntas illa suspendi poterat; quae suspensâ, etiam assensus fuisset impeditus. Ergò in ipso instanti, in quo opinamur, sumus liberi ad non opinandum, quia poteramus assensum suspendere & non assentire. Hoc autem est ipsum assensum esse liberum libertate contradictionis & quoad exercitium; quia est illum posse poni & non poni in hoc instanti, in quo ponitur. Omitto alia argumenta, quia assertio ab omnibus habetur certa.

ASSERTIO PRIMA.

Quando opinamur, opinio est nobis libera quoad exercitium seu libera libertate contradictionis.

ASSERTIO II.

Omnes assensus obscuri sunt nobis, mediata saltem, liberi libertate specificationis, & contrarietatis.

2. In hoc omnes conveniunt. Sanctus Thomas 22. quaest. 1. art. 4. haec habet. Intellectus assentit alicui dupliciter. Uno modo quia ad hoc movetur ab objecto, quod vel est per seipsum cognitum, sicut patet in primis principis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quam in aliam. Et siquidem hac fit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Hic S. Thomae discursus manifestam assertionis rationem continet, quae in eo consistit, quod quando objectum ipsum non determinat ad assensum, intellectus aliter assentiri nequeat, quam per liberam ac voluntariam inclinationem in unam partem magis, quam in aliam. At in obscuris, & maxime in opinabilibus, intellectus non sufficienter determinatur ab objectis, cum ex se in illis non quiescat, sed semper ulterius tendat, ut ad evidentialia pertingat, in qua tandem clarè quiescat. Ergò in obscuris intellectus nequit assensum praebere, nisi per liberam voluntatis inclinationem determinetur. De incertis autem & opinabilibus datur peculiaris ratio. Intellectus enim ex se averfatur errorem, ut proprium malum, & consequenter averfatur periculum errandi, tamquam periculum proprii mali; atque hac de causa objectum obscure & multò magis formidolosè propositum non sufficienter determinat intellectum. Ergò intellectus in omnibus obscuris, & multò magis in omnibus opinabilibus aliter determinari non potest, quam per liberam electionem voluntatis, vi cuius sit,

R. P. A. Terilli Regula Morum. PARS I.

3. **P**ROBATUR experientiâ manifestâ. Homines in rebus inevidentibus frequenter mutant sua iudicia, immò & fidem ipsam. Haec mutatio est libera, cum ab ipsorum voluntate adaequatè dependeat; tam enim primum, quam secundum iudicium erat liberum, & poterat non poni. Ergò mediata saltem & pro diversis temporibus sumus liberi ad assentiendum & dissentiendum rebus obscuris. Hoc autem est assensum, esse nobis mediata saltem liberum libertate contrarietatis & quoad speciem. Ratio à priori est, quia etsi nunc habeamus valida argumenta pro una parte, liberi tamen sumus mentem avertere ab illis, & ad oppositas rationes considerandas mentem applicare, atque illis etiam affici, abstracto affectu ad priores &c. Hac ratione quae priùs videbantur verisimiliora, postea apparere possunt hic & nunc minùs verisimilia, & minùs allicere ad assensum, quam opposita. Ergò intellectus jam saltem flecti poterit in dissensum rei, quam antea assensu suo comprobaverat. Haec tenus omnes consentiunt, illisque Celladeus subscribit.

In obscuris omnis assensus est mediata liber libertate specificationis, & contrarietatis.

ASSERTIO III.

Opinari ac credere, saltem aliquando, est nobis immediate liberum libertate specificationis seu contrarietatis

OPINIO & FIDES, aliquando saltem est immediate libera libertate specificationis, seu contrarietatis. **PROBATUR** Assertio contra Celladeum: Aliquando credimus, & opinamur, quando actu advertimus ad motiva utriusque partis; quo non obstante, unum alteri absoluto iudicio præferimus, etiam dum illud cum opposito ejusque motivis comparamus. Hoc non videtur posse negari, quia si oculos ad opposita clauderemus, temerè & imprudenter judicaremus, quia nesciremus an expediret sic vel aliter judicare. Præterea ipsa actualis formido opinionis manifestè arguit, intellectum ad opposita argumenta reflectere, & ab illis cogi ad formidandum de veritate assensus præstiti. Hoc posito sic. In hoc casu, pro priori ad omnem affectum ulli parti singulariter impensum, intellectus sæpè vehementer trahitur in utramque partem ob motiva valida hinc inde apparentia. Tunc autem voluntas est libera ut huic & illi parti afficiatur. Ergò libera est ut apparentia hujus partis augeatur vel minuatur, animumque magis vel minus afficiat & trahat. Stante autem hoc affectu ad unam partem, simulque stante apparentiâ per illum affectum auctâ, & apparente ut nobis commodâ & congencâ, voluntas flectere potest intellectum in assensum illius partis. At in actu primo voluntas erit libera, ut dicta progressio & incrementum apparentiæ cresceret pro parte opposita. Ergò in tali casu opinio & fides est libera libertate contrarietatis.

Ratio 2a. 5. Probatum secundò, ex iis omnibus quæ *questione 30.* attulimus ad probandum, quod liberum nobis sit opinari æquè & minus probabilia. Quia esse liberum ad opinandum æquè & minus probabilia, idem prorsus est ac opinionem esse liberam libertate contrarietatis. Videri etiam possunt, quæ de hoc ipso argumento latè profectus sum *quest. 8. & 9. de Consc. prob.*

Ratio 3a. ex S. Thomæ. 6. Probatum tertio, auctoritate S. Thomæ *22. quasi. 1. art. 4.* ad primam assertionem ponderatâ. Ibi enim expressè tribuit imperio & electioni voluntatis, quòd intellectus magis propendeat in unam, quàm in aliam partem. Ergò licet ante omnem affectum uni potius quàm alteri parti impensum detur perfecta æqualitas motivorum, voluntas est libera ad imperandum assensum, & flectendum intellectum in unam partem magis quàm in aliam. Hoc autem est opinionem esse liberam libertate contrarietatis. Ergò Sanctus Thomas nobiscum sentit.

S. Pater Ignatius eadem opinionem tradit. 7. S. Thomæ addo S. Patrem Ignatium, qui in *epistola de obedientia* tradit id ipsum, dicens, perfectum obedientem debere immolare Deo non solum voluntatem ad faciendum, sed etiam intellectum ad credendum id, quod superior præcipit, esse bonum & conveniens. Hoc esse possibile ex eo probat, quòd intellectus multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatu evidentiâ vim illi non infere, potest voluntatis pondere in hanc potius, quàm in illam partem inclinari. Ecce S. Pater omnia tradit, quæ dicimus. Neque enim, ut vult Celladeus, solum contendit, id fieri posse vi rationum, quas affert; quia sic non rectè confugisset ad subjectionem intellectus respectu voluntatis, sed ad solam

vim rationum prævalentium, quod est contra totum S. Patris intentum, qui vult illud sacrificium fieri per imperium voluntatis, suo pondere magis in unam partem inclinantis. Affert quidem rationes, suadentes rationabile esse, ut nobis diffidamus, & superioribus credamus; sed illæ affertur, ut per rationem suavius afficiamur, & quasi ex præoccupato rationis iudicio inclinemur ad subjiendum intellectum, non autem ad probandum, quòd sine talibus motivis prævalentibus, per ipsum voluntatis affectum non possimus magis inclinare intellectum in unam partem. Itaque violenter, & contra S. Patris mentem locum hunc interpretatur Celladeus §. 4. quasi S. Ignatius aliud significare non voluerit, quàm quòd voluntas tunc solum possit flectere intellectum, quando ille antecederet magis propendet in unam partem quàm in aliam.

8. Probatum quarto. Objectum æquè aut minus probabile pro priori ad omnem affectum, plus meretur, quàm apparentia similiter antecedens in iudicio temerario. Hoc autem non obstante, accedente affectu & imperio voluntatis, possumus temerè judicare. Ergò multò magis opinari quodlibet ex oppositis probabilibus, cum probabilia pro illo priori gravi ac magno nitantur fundamento, temeraria verò levi & exiguo. Præterea, qui temerè judicant, sæpè ita fixi sunt in suis iudiciis, ut quamvis iudicii temeritas sufficienter ipsis explicetur, illi tamen huic apparentiæ oculos claudant, cum tamen haud dubiè apparentia temeritatem ostendens, longè major sit, quàm apparentia veri pro parte, quam tenet, si illa consideretur, prout antecedit pravum affectum. At pravus ille affectus suspendi ac mutari potest in hoc instanti, & consequenter fieri potuisset ex solo imperio voluntatis, ut, cæteris stantibus, quæ ab illo non dependent, major fuisset apparentia pro innocentia, quàm pro defectu proximi. Ergò in hoc instanti per affectum & liberum imperium voluntatis flecti potuisset intellectus in assensum contrarium illi, quem de facto elicit. Et sanè durissimum est exultimare, neminem temerè judicantem, etiam quando arguitur, & rationes contrariæ illi proponuntur, esse ita dispositum in illo instanti, maxime si prædicamus ab omni præsentis exercitio libertatis, ut non possit pro illo eodem instanti præsumere proximum esse innocentem. Et tamen adversarii debent id asserere. At hoc est absurdum, & consequenter non admittendum. Ergò libertas contrarietatis locum habet in opinabilibus.

9. Probatum quinto. Hæc libertas satis clarè apparet in fide, quam nemo suscipit nisi volens. Hanc fidem plurimi tenent esse nobis immediate liberam libertate contrarietatis, ut mox dicam uberius; & merito quidem, quia multi obstinatè adherent erroribus suis, etiam tunc quando argumenta fidei Catholice validè proponuntur. Incredibile autem videtur, quòd nemo unquam in illo instanti potuerit mysterio fidem dare, etsi ob pravum voluntatis affectum actu præferat errorem. Poterat enim non solum suspendere iudicium erroneum, sed etiam affectum indebitum removere & oppositum induere. Quo factò, incredibile prorsus est, quòd non potuisset veritatem credere, rejecto errore. Et sanè, ablato illo affectu, & apparentiâ illum comitante & consequente, argumenta pro errore levi prorsus fuissent respectu eorum, quæ nunc illi proponuntur, pro fide. Ergò fides, saltem aliquando, est immediate libera libertate contrarietatis & specificationis

Judicium temerarium est liberè contrarietatis, seu specificationis.

Fides est libera libertate contrarietatis.

cationis. Idem autem valet de opinione. Ergo tam credere quam opinari, saltem aliquando, est nobis liberum libertate contrarietatis.

10. Probatur sexto expressius ex doctrina Sancti Thomae, quam in tract. de Confess. prob. fustus proposui. Sic ergo arguebam. Sicut intellectus non solum sibi, sed etiam voluntati intelligit, sic etiam voluntas non solum sibi, sed etiam intellectui vult. Univerſaliter enim ita constitutus est homo, ut quævis potentia æquè aliis ac sibi deserviat. Unde cum sola voluntas sit libera, illius libertas non minus deservit ad determinandas alias potentias, quando ab objectis non determinatur, quam ad seipsam determinandam, quando non determinatur à proprio objecto. Hinc sic arguebam. Voluntas est libera quoad speciem actus, seu est libera libertate contrarietatis, saltem quando objecta contraria ipsi proponuntur, ut bonitas apparet utriusque secundum quid excedat bonitatè apparentem alterius. Quod verum est, si bonitates illæ reipsa sint æquales sive inæquales. Ergo quando duo objecta cõtradiçtoria simul proponuntur intellectui ut probabilia, poterit intellectus per imperium voluntatis flecti ad utrilibet pro arbitratu assentiendum, maxime si motiva illa sint dissimilia, & secundum quid se invicem excedant. Ratio est clara, quia si intellectus ipse gauderet simili libertate circa suum objectum, sicut voluntas circa suum, posset credere alterutrum pro libitu. Ergo nunc potest flecti in assensum utriuslibet per imperium voluntatis, quia ita profus de præſenti subditur voluntatis imperio, sicut in eo casu in proprii consilii manu constitueretur; tota enim libertas voluntatis ideo deservit aliis potentis, ut ita illis provideri possit per voluntatem, sicut illæ sibi providerent, si essent immediatè liberæ, sicut est voluntas.

11. Hoc argumentum in ipsis rerum naturis fundatum est efficacissimum. Nunc autem dico, totam hanc doctrinam à S. Thoma satis expressè tradi. In primis ergo quaest. 6. de malo art. 1. ad 10. hæc habet. *De intellectu & voluntate quodammodo est simile, & quodammodo dissimile. Dissimile quidem quantum ad exercitium actus, nam intellectus movetur à voluntate ad agendum. Voluntas autem non ab alia potentia, sed à seipsa. Sed ex parte objecti est utrobique similitudo: sicut enim voluntas movetur ex necessitate ab objecto, quod potest accipi secundum aliquam rationem ut malum, ita etiam intellectus ex necessitate movetur à vero necessario, quod non potest accipi ut falsum, non autem à vero contingenti, quod potest accipi ut falsum.* Ecce objecta utriusque potentia, teste S. Thomâ, eodem profus modo se habent ad suas potentias. Quod verò intellectus eodem modo determinari possit ad suum objectum per imperium voluntatis, sicut ipsa seipsam determinat circa suum objectum, probat S. Thomas 1. 2. quaest. 17. art. 6. corp. ubi hæc habet. *Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine nature, & ideo proprie loquendo natura imperio subjacet. Sunt autem quedam apprehensa, que non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Ecce S. Thomas expressè ponit libertatem ad utrumque ex cõtradiçtorii, aut ad alterutrum, prout scilicet motiva fuerint pro utraque parte, vel pro alterutra. Si solum pro alterutra, actus erit liber quoad exercitium; si pro utraq; liber erit quoad specificationem.

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

12. Hæc his in locis in genere traduntur à S. Thoma, qui id ipsum satis expressè tradit in particulari de actu fidei, quem 2. 2. quaest. 1. art. 4. probat esse liberum, & quaest. 2. art. 9. probat esse meritorem. In priori loco expressè dicit, *Intellectum aliquando assentiri alicui, non quia sufficienter movetur à proprio objecto, sed per quandam electionem voluntariè declinat in unam partem magis quam in aliam.* Ecce tribuitur electioni voluntatis, non tantum quod declinet vel non declinet intellectum ad assensum, sed etiam quod illum declinet ad hoc potius, quam ad oppositum. Rursus in secundo loco hæc habet in corp. artic. *Credere est actus intellectus assentiens veritati divinae ex imperio voluntatis.* Deinde in responsione ad 2. seipsam explicat his verbis. *In scientia duo considerari possunt, scilicet ipse assensus scientis ad rem scitam, & consideratio rei scite. Assensus scientis non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, & ideo assensus scientis non est meritorius, sed actuali consideratio rei scite subjacet libero arbitrio.* Est enim in potestate homini considerare, vel non considerare, & ideo consideratio scientia potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis, id est ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, & ideo quoad utrumque actus fidei potest esse meritorius. Ex his locutionibus, juncto communi S. Doctoris Interpretum consensu, qui fidentissimè hanc opinionem illi tribuunt, satis constat, S. Thomam tenere, fidem esse liberam quoad speciem, seu libertate contrarietatis. Idem communiter docetur à Theologis. Videatur Suarez de fide tract. 1. disp. 6. art. 6. ubi expressè ponit nostram sententiam, eamque ex SS. Patribus, Conciliis, Sacrisque Litteris confirmat. Eadem est ratio de opinione, ut per se constat, & ex dictis S. Thomæ colligitur. Similia habes apud Valentium, Tannerum, & alios.

13. Nec dicas S. Thomam, aliosque intelligi debere de libertate tantum mediata: nam contrà; quia nulli dubium est, quin detur ejusmodi libertas mediata, neque de hoc graves Theologi quaestionem instituunt. Ergo cum quaestionem hanc proponant tanquam valde gravem, asserantque dari talem libertatem, haud dubiè intelligendi sunt de libertate immediata, de qua sola potest esse difficultas. Rursus S. Thomas aliique majorem libertatem fidei & opinioni concedunt, quam scientiæ. Sed concedunt scientiæ libertatem mediatam, etiam quoad speciem & contrarietatem actus, quia certum est, quod multa scita, præsertim in moralibus, ita mediatè ignorari possunt, ut oppositus error credatur. Ergo libertas, quam fidei & opinioni concedunt, est immediata. Terriò demùm, si Auctores locuti fuissent solum de libertate mediata, vel illud dixissent expressè, vel certè per argumenta suam mentem expressissent, ostendendo id fieri successivè ac mediatè, & non aliter. At nil ejusmodi aut ex verbis aut dictis apparet, sed ita arguunt, ac si de mediata hac libertate non cogitassent. Ergo certum videtur, quod de libertate immediata pro uno eodemque instanti intelligendi sunt.

14. Legi etiam potest Esparza in Appendice ab art. 103. fermè usque ad finem secundæ partis, ubi fufissimè hoc argumentum cum omnibus ad id pertinentibus pertractat. Omnia placent, sed aliqua ex illo annecto, quæ mihi in mentem non venerunt, quando materiam hanc tractavi quaestione 8. & 9. de conf. prob. Sic enim arguit art. 117. *Quando adest motivum probabile pro utraque parte,*

B b 3

Opinio S. Thomæ de libertate fidei.

S. Thomas & Theologi intelligendi sunt de libertate immediata.

Argumentum ingensiosum Esparzæ.

Omnes anime potentie tam aliis potentis quam sibi ipsi deserviunt.

Judicium meritorium liberè contrarietatis, ut speciationis.

S. Thomas tenet actus intellectus sæpè esse liberos quoad specificationem actus.

See d. b. a. libent. contra.

parte, assensus est tam liber quoad speciem, quam est quoad exercitium, quando adest motivum tantum probabile pro una parte, & nullum motivum pro parte opposita. Ideo enim in hoc secundo casu assensus est liber quoad exercitium, qui cum spes veritatis appareat juncta formidini erroris, intellectus non determinatur ab objecto ad assensum; & quia non est liber ex se, non potest determinari nisi per imperium voluntatis. Porro voluntas, utpote libera, potest illum determinare ad assensum, pro quo datur sufficiens motivum. Similiter potest illum non determinare ad assensum, suspendendo imperium; & hoc est assensum esse liberum quoad exercitium. Jam si accedat motivum positivè alliciens ad dissensum, eo ipso habetur eadem ratio libertatis ad assensum & dissensum & ad utriusque suspensionem, quæ antea erat ad assensum & non assensum, siquidem ex vi novi motivi tanta ad minimum apparet spes attingendi veritatem per dissensum, quantus antea apparebat timor falsitatis incurrendæ per assensum. Ergo si in priori casu suspensio assensus, non obstante prævalenti motivo ad assentiendum, ratione dicti periculi subsit imperio voluntatis, à potiori in secundo casu duorum motivorum probabilium dissensus eidem subjacet. Ergo eadem ratio, quæ in casu unius tantum motivi probabilis probat assensum esse liberum quoad exercitium, in concursu duorum motivorum dissimilium, quorum excessus non est certus & perspicuus, probat eundem esse liberum quoad speciem.

Libertas specificatio- nis non est nisi duplex libertas exercitii.

15. Hinc ego sic arguo. Libertas quoad speciem, non est nisi duplex libertas quoad exercitium simul existens in eodem instanti. At quando ad sunt duo motiva dissimilia, & in actu primo æqualia aut ferè æqualia, duplex libertas quoad exercitium coexistit. Accessus enim secundi motivi non tollit primam libertatem exercitii, quia non tollit spem attingendi veritatem, nec aufert metum incurrendi errorem per assensum. Hæc autem sunt causæ fundantes talem libertatem. Demùm nulla est ratio, ob quam accessus posterioris motivi incerti impediatur priorem libertatem actus. Ergo illa manet. At sequens motivum æquo jure fundat libertatem dissensus quoad exercitium. Ergo simul datur in voluntate libertas assensus quoad exercitium, & libertas dissensus quoad exercitium. Sed hoc est assensum & dissensum esse liberum quoad speciem. Ergo in casu assertionis semper datur ejusmodi libertas.

S. Augustinus favet libertati fidei quoad specificationem.

16. Et sanè restringendo quæstionem ad libertatem fidei, & erroris oppositi, libertas fidei quoad speciem optimè colligitur ex Epist. 49. S. Aug. quæst. 2. quem Esparza citat art. 19. Sic enim loquitur S. Doctor. Multi in ejus (Christi) corporali presentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt; quales nunc etiam multos videmus, cum tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humanâ astutiâ resistere, quam tam clarâ atque perspicua, tamque sublîmi & sublimiter diffamata divina credere auctoritati. Hic sermo est de iis, quibus fides sufficienter proposita fuit, ut crederent, si veilent. At loquitur de iis, qui erroribus suis insistendo fidei contradicunt. Hoc enim importat particula illa, humanâ astutiâ resistere. Ergo fides, & error fidei sufficienter propositæ contrarius, sunt liberi quoad speciem actus.

Consuetudo & praxis hominum

17. Idem videre est in fide humana, ut benè observat Esparza: siquidem aliquando contingit, duos homines diversimodè affectos opposita pror-

sus judicare de eadem re, circa quam duos opposita referentes audiunt. Alter enim dicit, volo credere Petro, & puto id quod dicit esse verissimum; alter dicit, nolo credere Petro, sed Paulo, & puto dictum Petri esse falsissimum. Hoc tam frequens est in novorum narrationibus, quæ sunt coram duobus, qui diversis partibus addicti sunt, ut vix quidquam frequentius observari possit. Jam quis non videt, totum hoc à varietate affectus provenire? At affectus illi suspendi possunt, & mutari pro arbitrio hominum; eo autem mutato, etiam judicia mutantur, quia rerum apparentiæ per tales affectiones plurimum immutantur. Rursus sæpè contingit, duos homines eidem narrare opposita; audiens autem uni præstat fidem, alterius auctoritatem rejectâ. Inde fit, ut homo repulsus de injuria conqueratur & dicat; iste homo noluit mihi credere, etsi provector sim, majorisque auctoritatis, sed alteri minoris fidei, aut certè in nullo supra me meriti excellentioris. O quantum potest affectus in ordine ad fidem impetrandam! hæc omnia convincunt, omnibus naturæ lumine persuasum esse, quod in familiaribus istis casibus assensus sit liber quoad speciem. Unde, qui post tot & tam efficacia argumenta hoc in dubium vocat, eam opinandi libertatem exercere convincitur, quam negat.

18. Demùm sic arguit Esparza. Hæc libertas probatur à libertate benè & malè judicandi de proximo. S. Aug. lib. 2. de sermone Domini in monte, ad illa verba. Nolite judicare &c. hæc habet. Hoc loco nil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo sunt, in meliorem partem interpretemur. Ergo talis interpretatio est possibilis, quia quæ nobis præcipiuntur subsunt utique libertati nostræ. Ergo in tali casu liberum nobis est benè judicare de proximo. At in eodem casu liberum etiam est malè de illo judicare, quia nil est ex parte objecti unde potius possimus benè, quam malè de illo judicare, quia supponitur res incerta. Ergo tota proxima utriusque judicii possibilitas sumitur à libero voluntatis imperio, quæ pro arbitratu flectere potest intellectum ad utrumlibet judicandum, quando ad sunt rationes pro utraque parte.

19. Huic doctrinæ pulcherrimè consonat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 60. art. 3. Qui contemnit, inquit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso &c. Secundus gradus est: cum aliqui pro certò malitiam alterius æstimat ex levibus judiciis, & hoc, si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale. Deinde ad 2. hæc habet. Ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei. Similia habet ibidem art. 4. Vbi non apparent manifesta judicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est. Hujus asserti rationem dat in resp. ad 1. Melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono homine, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo. At certum est, quod possimus malè judicare de homine, quando desunt manifesta judicia de ejus malitia. Tunc autem ex mente S. Thomæ, & ipsa veritate possumus, & tenemus dubium in meliorem partem interpretari, & hominem illum habere ut bonum. Hoc autem est, utrumque assensum esse liberum non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Rursus ad 2. hæc habet. Ad hoc potius attendere debemus in tali judicio, quod hominem judice-

probat libertatem in se habere.

Aliud argumetum ut Aug.

Aliud argumetum ut S. Thomæ.

judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. Ergo possumus talem hominem judicare bonum, quando manifesta ratio non est pro malicia. Possumus autem absque dubio eum reputare malum, cum potiora sint sæpè motiva pro malicia quam pro bonitate. Imò hinc habemus ex S. Thoma, quod sola manifesta ratio ita ligat intellectum, ut voluntas non possit, nec debeat nisi illum inflectere ad partem oppositam. Hinc, cum omne iudicium temerarium nitatur levibus iudiciis, sequitur quod aut semper, aut sæpè formetur contra motivum, quod revera prævalet re- late ad intellectum. Ergo tota ratio flectendi intellectum ad assensum temerarium sumitur ab imperio & affectu voluntatis, qui si defuisset, & oppositus affectus, ac oppositum imperium af- fuisset, oppositum iudicium formari potuisset. Ergo talia iudicia temeraria sunt libera quoad specificationem. Ergo à fortiori tam fides quam opinio ab eadem libertate procedunt. Hæc & hinc familia complura habes apud Esparzam loco citato.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objecio I. **O**BJICIT primò. Qui credit, non potest immediate dissentire rebus propositis, si velit, alioquin ego nunc immediate possem Calvinis non assentire, cum interea illa secta mihi proponatur ut evidenter incredibilis, & ex mea & aliorum opinione evidenter falsa. Sequela au- tem est absurda. Ergo fides non est immediate libera quoad speciem, seu contrarietatem actus. Ita Celladeus §. 2. Qui mox adjungit, idem constare de opinione; dicit enim se supra probasse, quod non sit nobis liberum opinari circa æqualiter probabile.

Respondeo. Fides non est libera quoad spe- ciem in sensu composito cum actuali iudicio de evidentiã incredibilitatis oppositi. Hoc multò magis valet, si ad sit iudicium, quò quis putat op- positum esse evidenter falsum. Similiter non est libera quoad speciem in sensu composito cum ab- soluta voluntate non credendi oppositum. Ve- rum hoc non queritur, sed solum an in sensu divi- so talium dispositionum sit libera quoad speciem. Argumentum istud hoc non tangit. Nos autem probavimus, talem dispositionem aut abesse, aut posse abesse ab actu primo, vi cuius inducimur ad credendum & opinandum, nam ablato pio af- fectu voluntatis, à quo fides dependet, & indu- cto affectu pravo ad errores oppositos (quæ di- versitas affectuum est immediate libera, saltem aliquando) non hæc, sed alia rerum apparentia fuisset, potuissetque voluntas imperare assensum errori. Ergo fides est immediate libera libertate contrarietatis, saltem aliquando.

21. Itaque Celladeus eandem hic æquivocatio- nem passus est circa libertatem fidei, quã antea deceptus negavit libertatem opinandi circa æquè probabilia; ex eo scilicet, quòd nec fides, nec opinio sit libera quoad speciem, stante iudicio, quò reputamus utramque partem, omnibus in- spectis, esse æquè probabilem, aut unam partem esse minùs fundatam oppositã. Hoc non aliud probant, quæ attulit *quæst. 1. 2. & 3. Appendicis*, ut ostensum est. At hoc non obstat immediatæ libertati fidei & opinionis quoad speciem, ut patet.

22. Objicit secundò. S. Thomas 1. 2. *quæst. 9. art. 1.* docet, intellectum & voluntatem mutuo comparari tamquam movens & mobile, sed quia

idem respectu ejusdem non potest esse movens & mobile, responderet S. Thomas, intellectum esse movens secundum unum, & non secundum aliud, similiter & voluntatem. Unde infert, quòd sint mutuo movens & mobile secundum diversa, non secundum idem. Hinc in responsione *ad 3.* con- cludit, voluntatem movere intellectum quoad exercitium, quia intelligimus, cogitamus, stu- demus, quando volumus. Ideo autem voluntas potest hæc ratione movere intellectum, quia ve- rum, quòd est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum parti- culare, & sic voluntas movet intellectum ad qua- rendum verum, aut ad cogitandum de vero &c. hoc est, movet intellectum quoad exercitium. Sed quantum, inquit, ad determinationem actus, quæ est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem, quia ipsum bonum apprehenditur secundum quandam rationem comprehensam sub universali ratione veri. Et sic patet, quòd non sit idem movens & motum secun- dum idem. Ergo juxta S. Thomam voluntas mo- vet intellectum quoad exercitium actus, & intel- lectus movet voluntatem quantum ad determina- tionem, id est, quantum ad speciem actus. Ergo intellectus non est immediate mobilis, seu deter- minabilis à voluntate quoad speciem actus. Ita Celladeus ibidem.

Respondeo, S. Thomam hoc loco aliud non docere, quàm intellectum aliquando movere, & non moveri à voluntate ad illud, per quòd move- bat voluntatem. Hoc autem S. Doctor per varias doctrinas egregiè deducit, quas omnes tandem in illud resolvit, quòd intellectus moveat voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum. Porro quia obje- ctum debet præsentari voluntati, antequam vol- untas ipsa moveatur, aut suã motione moveat alias potentias; hinc est, quòd intellectus necessariò præcedat, & habeat aliquem actum per determi- nationem habitam ab objecto, à quo talis actus specificatur, & idem intellectus quoad speciem talium actuum nullo modo dependet à voluntate, cum species talis habeatur independenter ab omni motione voluntatis; quamvis postea per impe- rium voluntatis intellectus iterum exerceri possit in similibus actibus eliciendis. Et hoc est intelle- ctum posse adhuc moveri quoad exercitium tali- um actuum per imperium voluntatis. Itaque S. Thomas aliam hoc loco non agnoscit determi- nationem intellectus quoad speciem, quàm quæ fit per determinationem objecti independenter ab imperio voluntatis. Porro cum certum sit, intellectum sæpè sic determinari ab objecto, San- ctus Doctor ex eo clarè deducit, voluntatem & intellectum non esse mutuo moventes & motos secundum idem, sed secundum diversa. At cer- tum est, intellectum nunquam determinari ab objecto obscure proposito ad illum assensum, sed solum dependenter à voluntate. Ergo S. Tho- mas hoc loco non loquitur de ullo assensu obscuro, cum omnis talis assensus ita dependeat à mo- tione voluntatis, ut ab illa separari non possit. Et sanè postquam intellectus, à voluntate non motus, movet intellectum, representando illi obscure rationem veri apparentis pro utraque parte contradictionis, idque sub peculiari ratione boni, non est cur voluntas æquè non possit deter- minare intellectum tam ad speciem quàm ad exer- citium talium actuum. Certè ex eo quòd volun- tas sic determinaret intellectum, non sequeretur, quòd voluntas & intellectus simul essent moven- tes & moti secundum idem; & tamen S. Thomas loco citato ad hoc absurdum vitandum induxit

Mens San- cti Thomæ declaratur.

distinctionem illam determinationis quoad speciem, & quoad exercitium. Certum itaque videtur, S. Thomam hoc loco solum sub universaliissima notione quaesivisse, an fieri possit, ut intellectus & voluntas mutuo se moveant? Respondet, id absurdum non esse, quia necesse est intellectum, aliquando saltem, determinari ad speciem actus ab ipso objecto, independentem a motione voluntatis; & sic intellectum, non motum a voluntate, movere voluntatem, quamvis postea voluntas possit iterum movere intellectum, ut in similibus actibus se exerceat, quod est intellectum moveri posse a voluntate ad exercitium actuum in eadem specie. At, quod S. Thomas hic aut docuerit, aut innuerit, intellectum in nullo casu posse determinari a voluntate ad speciem assensus, nec verum est, nec verisimile. Et sane si hoc loco ita sensisset S. Thomas, cur postea in 2. 2. ubi expressè agit de determinatione intellectus ad assensum fidei, & de ejusdem fidei merito ac libertate, cur, inquam, non promittit doctrinam, quam Celladeus cogitat hic latere, cum nulla alia opportunitior occasio esse potuisset ad rem illam declarandam? Scis cur? quia nullam talem doctrinam antea tradiderat. Et sane mirandum est, quod relictis locis, in quibus S. Thomas expressè agit de dependentia opinionis & fidei a voluntatis imperio, Celladeus ad alium tractatum prorsus genericum confugiat, atque ex indefinita quadam locutione S. Doctoris, quae manifestè verificatur independentem a quaestione praesenti, inferat doctrinam universalem, quam S. Doctor ne quidem insinuat. Et tamen aliud argumentum non affert Celladeus pro sua opinione, quam quod continetur in prima objectione, quodque ex aequivocatione terminorum procedit, & hunc textum S. Thomae, qui verè nil prorsus facit ad praesentem quaestionem: sed de mente S. Thomae plus quam sitit constat ex dictis.

Celladeus incongruè pro dicit citando Sanctum Thomam.

Causa temerè iudicandi triplex.

23. Obijcit tertio. Argumentum desumptum a iudiciis temerariis, quae levi tantum fundamento nituntur, nil probat, quia nunquam movemur ad talia iudicia ob levia fundamenta, quorum levitas nobis sit nota, sed totum ad hoc reducit, quod fundamenta, revera levia, nostro vitio nobis videntur gravia, & sic tandem praecipitemur ad assensum; generaliter enim verum est, intellectum nullis motivis plus tribuere, quam aestimat ea mereri. Porro S. Thomas 2. 2. quaest. 60. affert triplicem causam, ob quam de aliis temerè iudicemus. Prima est propria malitia; nam qui malus est, facile arbitratur alios esse sibi similes, & eisdem affectibus indulgere. Secunda est, mala affectio erga alios, ob invidiam, iram, aut odium, quia unusquisque, inquit, facile credit, quod appetit. Tertia est longa experientia, ob quam senes solent esse suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Ob has causas motiva, in seipsis levia, videntur gravia; & sic voluntas movet intellectum ad assensum ejus, quod videtur probabilius. Peccat tamen, quia debebat rem ulterius examinare, antequam iudicaret, aut etiam suspendere iudicium post examen, donec magis de veritate ipsa constaret per apparentiam independentem a prava dispositione propria. Ita Celladeus §. 3.

24. Respondeo replicam hanc eadem aequivocatione laborare, quae priora argumenta; supponit enim, quod dicamus, iudicantes temerè ob levia fundamenta, aut debere, aut posse simul existimare ea esse levia. Sed omnia alia dicimus, scilicet eos, quamvis in actu secundo exercitè saltem existimant argumenta pro parte affirmata esse longè potentiora, ita tamen esse dispositos in actu primo, ut possint habere validiorem apparentiam pro parte negata, & minùs validam pro parte jam affirmata. Hoc autem ex iis ipsis colligitur, quae ex S. Thoma afferuntur ad suadendum contrarium; scilicet quod vitio nostro fiat, ut malitia proximis verisimilior nobis appareat, si vitio illo careremus. At vitio illo carere possumus, quia possumus non invidere proximo, nec illum odisse. Certè ex tribus illis causis, prima ab initio vitae in nemine locum habet, postea in multis deest; similiter & tertia sensibus tantummodo convenit, quae ipsa, ut S. Thomas ibidem expressè ait, minuit rationem suspitionis, quia experientia proficit ad certitudinem, quae est contra rationem suspitionis. Itaque saepe sola secunda causa locum habet. At illa est nobis libera. Ergo potuit abfuisse in hoc instanti. At si illa, & omnia illam consequentia abfuisset, ceteris manentibus longè alia fuisset rerum apparentium facies; maxime si quis loco illius contrarium affectum voluntatis eliciisset, tunc enim facillimè contrarium iudicasset, quia ex mente Sancti Thomae affuisset causa oppositi iudicii, tum quia quisque facile credit, quod appetit, tum quia apparentia malitiae fuisset valde exigua, utpote quae secundum se & ex parte actus primi remoti est levis; & contra apparentia innocentiae fuisset valde magna, cum & in se sit gravis, & ob affectum contrarium plurimum aucta fuisset. Ergo replica haec solum servit ut vis argumenti fortius eluceat.

25. Dicitur porro illud Celladei, Intellectus nullis motivis plus tribuis quam aestimat ea mereri, verum est, si sermo sit de ipso actu iudicii, quo in actu secundo illa approbat, quia actus secundus iudicii est illa ipsa eorum aestimatio, & praeratio, saltem exercitè. Sed hoc nec facit ad rem, nec solvit argumentum. Non facit ad rem, quia loquimur de dispositione antecedente, & quaerimus quid illi per liberum arbitrium superaddi possit. Non solvit argumentum, sed roborat, quia difficultas redit de ipsa aestimatione motivorum. Nam illa vel est, vel non est temeraria. Si non est, sumus extra quaestionem. Si est, ergo nititur levibus fundamentis. Nec iterum respondeas per aliam aestimationem, quia sic daretur processus in infinitum. Ergo siltendum est in ipso iudicio actuali, quod praesert illa ut veriora & vera. Sed hoc iudicium est liberum, & poterat abesse. Ergo in casu iudicii temerarii non est necesse, quod detur ullus excessus motivorum pro malitia proximis antecederet ad exercitium libertatis; sed oppositum evenit. Ergo totus ille excessus apparentiae est liber. Ex quo iterum sequitur, intellectum immediatè determinari posse a voluntate ad speciem actus, quod erat probandum.

QUAE